

que ac inopinato tempore sibi præscripto comparere et respondere debet l. *Pure*, 5, § fin. ff. *de Doli mali except.* etiam jurisperitis necdum consultis; ad quam inæqualitatem tollendam reo plures defensiones, actori vero una tantummodo actionis species conceduntur. Taccin. hic, n. 1, cum communi aliorum.

4. *Reus non simul, sed successive plures exceptiones contrarias adhibere potest.* — Verum dum regula præsens et alia jura reo permittunt plures defensiones etiam contrarias ulterius ita intelligenda sunt, non ut plurium exceptiones contrariæ simul, sed successive in judicio admittantur, quatenus si una non proficit, vel probata non sufficit, ad aliam recurrere liceat exceptionem vel defensionem. Gail. *de Pace publ.* lib. I, cap. xviii, n. 6; Peck. hic, n. 7; et Strein, n. 2; Zoes. in cit. reg. *Nemo circa finem*; Barb. hic, n. 3, cum communi aliorum, arg. c. *Imputari, de fide instrum.*

5. *Easque non omnes absolute, sed disjunctive veras esse dicere habet.* — Notandum etiam reo est, ut, dum plures exceptiones, vel defensiones diversas et contrarias etiam successive adhibet, non asserat, eas omnes esse absolute veras; cum id repugnet naturæ, sed esse veras conditionate, seu disjunctive vel alternative in hoc sensu, quod, si una non est vera, saltem altera vel tertia sit vera: v. g. si accusaris hominem a te fuisse occisum, tu vero excipiendo negas: potes nihilominus postquam convictus es, aliam exceptionem adhibere dicendo, te cum moderamine inculpatae tutelæ ad defendendam propriam vitam fecisse. Vel si actor in judicio fundum, quem possides, a te petit, excipere et defendere te potes dicendo successive, illum tuum esse, quia emisti eum, vel quia tibi donatus est, vel quia jam legitime præscripsisti. Covar. lib. I, *Variar. resolut.* cap. v, n. 3; Menoch, lib. II, *Præsumpt.* 42, n. 1, cum aliis. In quo sensu intelligendus esse videtur Barb. ad hanc reg. n. 5, ubi dicit, non posse reum uti pluribus exceptionibus ita sibi contrariis, ut juxta rectum sensum simul veræ esse non possint: alias enim doctrina Barbosæ juri, et regulis illius diversas exceptiones admittentibus esset contraria, reisque multum odiosa; cum præfatae diversæ exceptiones simul sumptæ absolute veræ non sint, bene vero in sensu alternativo, seu disjunctivo et conditionato supra jam explicato.

6. *Ponitur verus sensus regulæ.* — Resp. II. Verus sensus regulæ hic est: « Nullus reus in judicio conventus prohibetur pro eadem re, vel jure suo conservando plures etiam diversas, et sibi contrarias adhibere exceptiones, non quidem eas simul et semel, sed successive proponendo, ac successive dicendo, quod si una non sit vera, vel insufficienti existat, saltem altera, vel tertia vera et sufficiens maneat. » Per jura et rationes allegatas: exempla plura ex jure assert. Gloss. hic et Dynus: habes etiam aliqua supra n. 5, posita.

7. *Solvitur objectio.* — Objicitur contra regulam et sensum illius *primo c. Veniens*, 19, *de Præscript.* ubi exceptio præscriptionis fuit rejecta, quam prius jam alia, privilegii videlicet exceptio fuerat adhibita. Resp. In hoc capitulo non rei, sed actoris exceptionem fuisse rejectam, cum juxta dicta n. 2, actor pluribus exceptionibus uti non possit.

8. Objicitur *secundo* commune illud Brocardicum: « Contraria allegans non est audiendus, » arg. c. *Imputari*, 13, *de Fide instrum.* cum concord. Resp. illud intelligendum esse de Actore, l. 1. *C. de Furtis*. non autem de reo, utpote cui de jure naturali competit, ut omni, quo potest, modo se defendere, damnumque et injuriam avertere valeat. l. *Ut vim*, 3, ff. *de j. et j.* dummodo contraria non simul proponat c. *Imputari, de Fide instrum.* ubi rejicitur, qui scripturas contrarias simul produxit.

9. *Reus appellans, assumit personam actoris, et non potest amplius uti pluribus defensionibus.* — Objicitur *tertio*. Species quædam exceptionis etiam appellatio est: sed reo appellanti non licet contrarias exceptiones adhibere, arg. l. *Si procuratorio*, 2, § 1, ff. *Quando appell.* Resp. reum appellando assumere personam actoris, cui, quia in prima instantia una tantum actione experiri licet, per jura n. 2, allegata, multo magis ad id tenetur in secunda instantia.

10. *Fallit regula in reo negante se servum habere.* — Quæritur II. An et quas fallentias regula hæc XX, patiat? Resp. eam fallentis subjectam esse clare patet ex cit. reg. 43, ff. *de Reg. Jur.* quæ, dum dicit, reum pluribus uti posse defensionibus, addit, « nisi lege prohibeatur. » Lege autem subinde prohibitum est etiam, reo plures adhibere defensiones: consequenter regula fallit *primo* quando quis conventus de noxa servi negat, se habere servum in potestate, convictus enim de

mendacio non amplius auditur, l. *Quoties*, 21, § fin. ff. *de Noxali*.

11. *Vel quadrupedem possidere.* — Fallit *secundo*, si conventus de pauperie quadrupedis negat, se habere quadrupedem: convictus siquidem alia exceptione uti nequit. l. 1, § 15, ff. *Si quadrup. pauper*.

12. *Vel pecuniam sibi numeratam.* — Fallit *tertio*, in casu quo quis conventus, ut pecuniam sibi mutuo datam, et a se jam solutam solvat, negat, sibi pecuniam unquam fuisse numeratam; convictus enim de mendacio non amplius auditur textu claro Auth. *Contra*. C. *De non numerat. pecun.*

13. *Vel scripturam suam esse.* — Fallit *quarto*, et ad ulteriorem exceptionem non admittitur, si debitor conventus negat propriam scripturam in qua debitum continetur: in quo sicut et priori casu reus conventus postea convictus insuper in duplum condemnatur. cit. Auth. *Contra*: ibi: « Contra, qui propriam scripturam, qua convenitur, abnegat, vel numeratam inficiatur, convictus in duplum condemnatur, » etc.

14. *Vel pignus sibi datum, si desuper conventus et de mendacio convictus fuerit.* — Fallit *quinto*, si creditor conventus de pignore, se pignus habere negat, cum habeat; convictus enim in hoc de mendacio ad aliam defensionem non amplius admittitur. Auth. *Item possessor*. C. *Qui potior. in pignore*.

## REGULA XXI.

## QUOD SEMEL PLACUIT, AMPLIUS DISPLICERE NON POTEST.

1. *Regula unde desumpta?* — Hæc regula juxta Gloss. et Barb. hic, n. 1, desumitur ex l. *Sicut*, 5, C. *de Obligat. et act.* ubi dicitur: « Sicut initio libera potestas unicuique est habendi vel non habendi contractus (de quibus regula præcipue procedit) ita renuntiare semel constitutæ obligationi, adversario non consentiente, nemo potest. Quapropter intelligere debetis, voluntariæ obligationi semel vos nexos, ab hac, non consentiente altera parte minime posse discedere. »

2. *Ad eam requiritur primo, ut, quod placuit, non sit contra jus, bonos mores, vel animam. Graviter errant, qui promissa iniqua observant.* — Quæritur I. Quomodo hæc regula intelligenda, et quis verus illius sensus sit? Resp. I. Quamvis hæc vere æqua, rationalis, et pro constantia seu perseverantia in

bono plurimum serviat, uti bene advertit Barb. hic: tamen sine requisitis ad eam, ac pluribus limitationibus intelligenda non venit. *Primo* enim ad eam servandam requiritur, ut, quod placuit, non sit reprobatum a jure, nec turpe, nec contra bonos mores, aut in detrimentum animarum, arg. c. *Penitentes*. dist. 55 et c. *fin. de Pactis*, ibi: « Pactiones factæ a vobis pro quibusdam spiritualibus obtinendis, cum in hujusmodi omnis pactio, omnisque conventio debeat omnino cessare, nullius penitus sunt momenti. Quod etiam de aliis est dicendum, quæ observatæ vergunt in animæ detrimentum; nam etiam juxta legitimas sanctiones peccatum turpe, vel rei turpis aut impossibilis de jure vel facto, nullam obligationem inducit, » etsi etiam juramento firmetur; quia « Non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum, » juxta regulam 58, *de Reg. jur.* in 6, ut proin graviter etiam principes errent, qui prætextu hujus regulæ vel perseverantiæ et constantiæ in servando semel dato verbo, facto promisso, aut resolutione tenaciter adhærent illis, quæ semel promiserunt, condixerunt, resolverunt, statuerunt, quantumvis contra jura, vel bonos mores, aut in detrimentum animæ, vel præjudicium etiam boni communis militare manifeste appareant; cum tamen potius ea non servandi, quam servandi obligatio certa existat.

3. *Secundo requiritur, quod libere placuerit: et quidem.* — *Secundo* requiritur ad eam, ut id, quod placuit, scienter, et non per errorem facti placuerit. Gloss. hic arg. l. 1, § 1, et l. 2, ff. *de Jur. et fact. Ignor.*

4. *Tertio, externe.* — *Tertio* requiritur, ut, quæ placent, non sola mente et interne, sed etiam externe, verbo vel facto placeant. arg. c. *Tuæ*, 25, *de Sponsal.* ibi: « Sed necessaria sunt, quantum ad ecclesiam, verba consensus exprimentia; » secus in ordine ad Deum; nam valet votum sola mente libere emissum.

5. *Quarto quod alterius intersit in semel placito manere.* — *Quarto* requiritur, quod alterius intersit in semel placito permanere, et ex illius revocatione vel mutatione præjudicium patiatur juxta reg. 33, in 6. « Mutare consilium quis non potest in alterius detrimentum. » ubi Gloss. ¶. *In alterius*, bene infert: « Ergo a contrario ubi alteri non præjudicatur, mutare licet. »

6. *Ponitur verus sensus regulæ.* — Resp. II.

Preprius sensus regulæ sequens est: « Quod alicui scienter, libere et juste ita placuit, ut inde jus quæsitum sit tertio, cum hujus præjudicio revocari vel mutari amplius non potest. » Arg. cit. l. 5. C. de Obligat. et action. cui concordat utriusque juris regula, canonici quidem 33, de Reg. jur. in 6, num. præced. jam allegata. Civilis vero 73, ff. de Reg. jur. « Nemo potest mutare consilium suum in alterius injuriam. »

7. *Humanæ fidei et commercio nil tam congruum, quam verba et promissa servare.* — Ratio est, tum quia, sicut commercio et fidei humanæ nil tam congruum, quam verba et promissa servare, arg. l. 1, in prin. ff. de Pactis, ibi: « Quid enim tam congruum, humanæ fidei, quam ea servare, quæ inter eos placuere: » ita eidem, æquitatiq; et juri naturali nil magis adversum, quam dicta et promissa, sicque fidem præsertim in aliorum præjudicium non servare, l. 1, ff. de pecun. constit. pr. ibi: « Grave est fidem fallere, » etc.; tum quia, cum hæc regula præcipue in contractibus et promissis procedat, ubi ex utriusque contrahentis consensu, uti et ex promittentis promissione ac promissarii acceptatione oritur obligatio naturalis, eidem cum alterius præjudicio contravenire non licet, arg. cit. l. 5. C. de Obligat. et act. cum concord.

8. *Declaratur regula exemplis juris.* — Declaratur regula ulterius quibusdam juris exemplis, quæ a Gloss. hic, Dyro et aliis in regulas juris scribentibus copiose adducuntur. Sic enim I. Judex sententiam definitivam, quam ferre semel placuit, non amplius mutare aut revocare potest l. Paulus, 42, ff. de Re judicat.

9. II. In judiciis actor post contestationem litis invito reo non potest amplius recedere. l. Pure, 5, § fin. ff. de Doli except. et reus, qui judicem ut legitimum contestando litem agnovit, illum tanquam incompetentem, vel suspectum recusare non amplius valet. l. Nemo. 4. C. Jurisdic.

10. III. Sic ex libero beneplacito factis juramentis et votis contravenire non licet, c. Quamvis de Pacti, in 6, et c. Licet, 6, de Vot.

11. IV. In collationibus et resignationibus beneficiorum, unum alicui semel collatum ei auferri, et alteri conferri non amplius valet, c. Si tibi absenti, 17, de Præbend. in 6.

12. V. Sic beneficium per resignationem vel cessionem libere dimissum repeti non

potest, can. Quam periculosum, 8, cau. 7, q. 1.

13. VI. Sic a matrimonio, quod libere inire, et a professione religiosa, quam emittere placuit, recedere non amplius licet per dicta in suis titulis lib. III et IV.

14. VII. Et universaliter in contractibus et convenientibus rite initis regulam observare oportet, et eis cum præjudicio alterius contravenire non licet, cit. l. 5, de Oblig. et act. quia, « quod semel placuit, displicere amplius non potest. »

15. Quæritur II. An, et quas fallentias patiatur regula XXI? Resp. eam sat multas habere fallentias, ex quibus seligemus potiores ad rem magis servientes, et ex quarum notitia etiam aliæ cognosci possunt. Fallit itaque regula, primo et universaliter, quando recessus fit ab ea mutuo consensu utriusque partis, l. Sicut, 5. C. de Oblig. et act. excepto matrimonio et professione religiosa; cum illud semel consummatum nec utriusque nubentis consensu, nec ista consentiente prælato et subdito amplius invalidari queant, nisi causa transitus ad aliam religionem, c. 18, de Regul.

16. *Secundo, superveniente de novo, vel prius non cognita causa.* — Fallit secundo in non paucis, propter supervenientem de novo, et prius non cognitam causam. Gloss. hic arg. c. Ut circa, 4, et c. Nulli, 8, de Elect. in 6, ibi: « Nulli dicere decernimus (postquam in scrutinio nominaverit aliquem, et electio fuerit subsecuta, vel postquam præstiterit electioni de ipso ab aliis celebratæ consensum) illum super electione ipsa (nisi ex causis postea emergentibus) impugnare: vel nisi ei morum ipsius antea celata de novo pandatur improbitas, vel alicujus alterius latentis vitii, vel defectus, qui verisimiliter ignorari potuerit, veritas reveletur. » Et ratio est, quia quæ de novo emergunt, novo indigent auxilio, c. Pastoralis, 4, de Except. et l. de Ætate, 11, § 8, ff. de Interrog. in fine.

17. *Tertio, in iis, in quibus licet pœnitere de jure, uti in desponsatione impuberum.* — Fallit tertio in omnibus, in quibus de jure licet pœnitere et variare, etiam uni sine consensu alterius: sic licet impuberi a sponsalibus contractis libere resilire, quando pubertatem adeptus fuerit, c. de Illis, 7, et c. A nobis, 8, de Despons. impub. Pariter a matrimonio ratonondum consummato resilire, et religionem intrare permissum est a jure, c. Verum, 2,

de Convers. conjug. Huic fallentiæ universali conformiter

18. *Quarto, in ullimis voluntatibus.* — Fallit quarto in ullimis voluntatibus; quia hæc ambulatoriæ sunt ad mortem. l. Quod si, 4, ff. De alim. et transfer. legat. et quidem in tantum, ut de non mutanda ultima voluntate nemo se ipsum adstringere valeat. l. Si quis, 22, ff. de Legat. 3, ibi: « Nemo enim sibi eam legem dicere potest, ut a priori et recedere non liceat. »

19. *Quinto, in contractibus innominatis.* — Fallit quinto in contractibus innominatis, quando res adhuc est integra, l. Si pecuniam, ff. de Condit. causa data. Item in deposito, l. 1, § 2, ff. Depositum.

20. *Sexto in contractu societatis, si res adhuc est integra.* — Fallit sexto in mandato et in contractu societatis, si res adhuc est integra, seu si interesse alterius necdum incœperit. § Mandatum, 11, Instit. de Mandato, et § Mandat. 4, Instit. de Societ.

21. *Septimo, in sententia interlocutoria.* — Fallit septimo in sententia interlocutoria, utpote quam judex, qui eam tulit, revocare potest, cum officio suo ex integro nondum functus fuerit, c. Cum cessante, 60, de Appellat.

22. *Octavo, et appellatione.* — Fallit octavo in appellatione, a qua semel interposita appellans pro libitu recedere potest, c. Si quis libellos, 28, C. de Appellat.

## REGULA XXII.

## NON DEBET ALIQUIS ALTERIUS ODIO PRÆGRAVARI.

1. *Regula unde desumpta?* — Hæc regula desumitur ex l. Si quis, 33, § Legis. C. de Inoffic. testam. cui etiam concordat l. Sancimus, 22, C. de Pœnis, et regula 153, ff. de Reg. jur. ibi: « Factum cuique suum, non adversario nocere debet. »

2. *Quomodo intelligenda?* — Quæritur, quomodo hæc regula intelligenda et quis verus illius sensus sit? Ante responsionem est notandum, doctores in declaranda hac regula non convenire; Barbosa siquidem hic n. 2, vulgarem opinionem, quæ dicit, regulæ sensum et intentum esse, ut nullus propter delictum alterius puniatur, ideo rejicit quia in hoc sensu, ut ait, non esset diversa, sed eadem cum sequenti, quæ idem dicit illis verbis: « Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus. » Non est autem veri-

simile, quod papa Bonifacius VIII, duas distinctas regulas idem significantes ponere voluerit. Verum hæc Barbosa, ratio non videtur stringere; quia uti ex ipsis verbis utriusque regulæ liquet, nihilominus quævis earum diversum et distinctam ab alia importat sensum. Præsens enim regula id principaliter velle videtur, ne quis innocens pœna, aut damno gravetur propter alterum, quem ob delictum vel inimicitiam, malam vitam, vel ex alia causa odio habet pœnam indigens, vel damnum inferens. Sequens autem regula absolute, et abstrahendo ab omni odio erga tertium, v. g. ex proprio odio, et aversione, qua erga innocentem fertur, pœnam in jure non contentam inferens; vel ex proprio interesse, vel ex respectu humano, vel alia minus justa causa. Hinc:

3. *Ponitur verus sensus illius.* — Resp. ad questionem num. præced. positam. Regula præsens principaliter intelligenda est de pœna, gravamine et damno, quod inferitur innocenti propter odium, quo injuste damnificans vel gravans ex quacunque causa fertur erga tertium, v. g. cognatum, amicum, fratrem, filium, parentem, servum familiarem innocentis; ut prom verus sensus regulæ sequens sit: « Nullus innocens potest affici vel gravari pœna aliqua damno, vel alio incommodo propter odium, quo injuste gravans ex quacunque tandem causa fertur erga tertium v. g. consanguineum, amicum, etc., familiarem innocentis. » Sic in sensu isto regulam intelligit Caramuel in Theol. fundament. n. 764. Sirein., hic et alii.

4. *Et probatur.* — Probatur hic sensus præcipue per l. Si quis, 33, § Legis. C. de Inoffic. testam. ex qua desumpta habetur regula; ibi enim propter rationem hujus regulæ corrigitur lex antiqua, quæ permittebatur filium innocentem exhæredari a matre præcise ob odium, quod gerebat erga maritum, ex quo infans progenitus erat, illis verbis: « Hoc iniquum judicantes, ut alieno odio aliquis prægravetur. » Idem sensus clare desumitur ex l. Sancimus, 22, C. de Pœnis, ibi: « Sancimus, ibi esse pœnam, ubi noxa est propinquos, notos, familiares, procul a calumnia submovemus, quos reos sceleris societas non facit. Nec enim affinitas, vel amicitia nefarium crimen admittunt. Peccatum igitur suos teneat auctores, nec ulterius progrediatur metus, quam reperitur delictum. Hoc singulis quibusdam iudicibus intimetur. » Concordat l. Crimen, 26,

ff. de Pœnis, ibi: « Crimen vel pœna paterna nullam maculam filio infligere potest; nam unusquisque ex suo admissio sorti subjicitur. » Huc facit et ob eandem rationem, si compromissarius eligat indignum, potestas eligendi redit ad eligentes, et ipse solus punitur, non vero compromittentes, « quos illius odio non convenit prægravari, ut pœna suum auctorem teneat juxta regulam 155, ff. de Reg. jur. supra n. 1, jam citatam. » Item illud Ezech. cap. XVIII, 20, ibi: *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur filius non portabit iniquitatem patris, et pater non portabit iniquitatem filii*; sicut nec uxor tenetur pro marito l. 2 et 3. C. « Ne uxor pro marito. »

5. *Ratio regulæ.* — Ratio præter jam in textibus expressas ulterior est, quia justitia commutativa et distributiva exigunt, ut jus suum cuique reddatur, innocentes ab injuriis et injustis damnis, aut gravaminibus defendantur, nocentes et rei puniantur, promeriti vero condigne præmientur: quod non fit, si plene innocentes ex præciso odio erga alium, ejusque delicta damnificantur, gravantur, puniuntur, aut alia incommoda sustinere coguntur.

6. *Objicitur ex Scriptura.* — Verum quantumvis juxta et æqua ex dictis appareat regula nostra, tamen graves patitur instantias tam ex Scriptura sacra, quam utroque jure. Ex sacris enim paginis habemus propter unius vel plurium delicta etiam alios innocentes a Deo fuisse punitos. Sic enim faciendo plura alia exempla, propter scandala suorum filiorum populum a sacrificio retrahentium Deus Heli illorum patrem e vivis sustulit l. Reg. cap. IV, 18, et propter peccatum David populum superbe numerantis, de populo innocente a Dan usque Bersabee septuaginta milia virorum sæva peste delovit.

7. *Objicitur ex jure canonico.* — De jure canonico a patre et matre hæreticis filii et nepotes innocentes catholici procreati ad beneficia ecclesiastica et officia publica inhabiles existunt, c. *Quicumque*, 2. § *Hæretici*, et c. *Statutum*, 9, de *Hæreticis*, in 6.

8. *Objicitur ex jure civili, quod propter peccata aliorum puniantur innocentes.* — De jure civili autem propter crimen læsæ majestatis etiam innocentes filii infames evadunt, atque a materna, avitaque et propinquorum successione excluduntur, l. *Quisquis*, 5. C. ad *Leg. Jul. majest.*

9. *Respondetur, quare Deus ob peccata aliena puniat aliquos.* — Respondetur tamen

et quidem ad exempla sacræ Scripturæ, imprimis a Deo nullum innocentem pœna æterna, vel alia animæ nociva puniri: temporali tamen quandoque propter unum etiam alios affici, vel quia, etiamsi appareant, tamen revera innocentes non sunt, sed ejusdem criminis coram oculis divinis directe vel indirecte rei existunt, ob quod merito puniuntur, uti contigit in Heli, qui debite corrigere filios negligens, etiam illorum criminum factus est particeps. Vel, quia licet innocentes in uno, in multis tamen aliis peccatis rei coram Deo inveniuntur, indeque jaste puniuntur. Vel, quia innocentes aliquo modo ut filii ad parentem, subditi ad principem pertinent, puniuntur ut delinquens pœnam acerbius sentiat, dum interea alii, si pœnam ob peccata alterius commissa a Deo immissam in his innocentes patienter sustinent, alia sua peccata extinguunt, animæ dona, gratias et merita sibi cumulant, et salutem æternam facilius consequuntur, sicque ex hujusmodi pœna plus lucri, quam damni acquirunt, ac propterea afflictiones a Deo immissæ respectu delinquentis duntaxat nomen veræ pœnæ: respectu illorum, qui propter alium patiuntur, nomen medicinæ doni et boni spiritualis merentur juxta divum Thom., I, 2, q. 87, a.

10. *Jus canonicum id facit propter utilitatem publicam.* — Ad dispositiones juris canonici respondetur, per illas propter alios puniri in nonnullis etiam innocentes non tam odio erga illos v. g. hæreticos parentes, quam favore cultus divini, ecclesiæ, et communis utilitatis ejusdem, quæ exigit, ut non nisi ab omni suspitione mali alienos nabeat ministros, quates non sunt illegitime nati, et hæreticorum filii, utpote de quibus non immerito metuit Ecclesia, ne imitatores sint incontinentiæ et perfidiæ paternæ, cit. l. *Quisquis*, § *Filii vero*, C. ad *Leg. Jul. majest.*

11. *Sicut et jus civile.* — Ad leges civiles respondetur, eas quoque non tam odio delinquentis, quam cura et amore boni communis et publici pœna in aliquibus afficere innocentes ad avertenda graviora, bonoque publico magis nociva, præsertim læsæ majestatis crimina, quatenus quisvis sciens, hujusmodi crimina etiam in filiis innocentibus tam graviter puniri, ab iis committere magis et efficacius absterreatur.

12. Quod si alicui hæ responsiones minus placeant, et per jura in aliquibus casibus nonnullos etiam aliorum odio contra regulam

gravari contendat, respondetur, regulam fallere in casibus, in quibus ob odium erga unum etiam alium ex justa causa boni publici gravari volunt: ut proin huic regulæ non minus ac sequenti apponi valeat exceptio: « Nisi subsit causa. »

## REGULA XXIII.

SINE CULPA, NISI SUBSIT CAUSA, NON EST ALIQUIS PUNIENDUS.

1. *Regula quomodo intelligenda?* — Quæritur, quomodo hæc regula intelligenda, et quis verus illius sensus sit? Resp. I. Sicut præcedens regula vult, ut nullus innocens puniatur, injuste gravetur, damnum vel incommodum patiat præcise ex odio alterius: sic præsens universaliter, et abstrahendo ab omni odio dispositum indicat, ut nullus puniatur sine culpa ex quacunque tandem minus justa bonum commune non concernente causa, v. g. ex interesse proprio, ex respectu humano, ex amore erga alium forsitan inimicum puniri seu puniendi, etc. Siquidem per verba: « Nisi subsit causa. » Regula non nisi justam, et bonum communem concernentem causam intelligit juxta dicenda infra n. 2 et 3. Hinc.

2. *Ponitur verus sensus illius. Sine culpa non datur pœna.* — Resp. II. Verus sensus regulæ hic est: « Nemo est puniendus vel gravandus ob alicujus actus commissionem, vel omissionem, quæ dolo et culpa vacat, nisi ex justa bonum commune seu publicum concernente causa. » Primæ partis, ut nemo sine culpa puniatur, ratio est; quia ubi non est noxa, ibi non est pœna, l. *Sancimus*, 22, C. de *Pœnis*, ibi: « Sancimus, ibi esse pœnam, ubi est noxa: » siquidem « pœna est noxæ vindicta, » l. *Aliud*, 131, pr. de *Verb. sign.*, ac insuper pœna est mensura culpæ juxta illud, *Deut.*, xxv, 2, ibi: *Juxta mensuram peccati erit plagarum modus.* Hinc ubi nulla culpa, nulla quoque esse debet pœna, c. *Cognoscentes*, 2, de *Constit.*, ibi: « Rem, quæ culpa caret, in damnum vacari non convenit, » huc quadrat etiam illud S. Augustini affectum lib. II, *Retract.*, cap. VI, ibi: « Pœna, si justa est, peccati pœna est, et supplicium vocatur. »

3. *Nisi ob causam boni communis.* — Ratio secundæ partis, seu potius exceptionis, videlicet, quod quis etiam sine culpa ex justa bonum commune concernente causa, seu

propter utilitatem publicam puniri vel magis proprie loquendo, gravari, et incommodari valeat, hæc est; quia bonum commune, seu publica et communis utilitas est præferenda privata: consequenter, si illa exigit, ut privatus, etiam sine culpa, puniatur, gravetur, damnum temporale sentiat, hic merito sustinere debet, arg. l. penult., ff. ad *leg. Cornel. de Sicar.*, ubi ad sedandum tumultum decurio inconsulto principe decapitari potest, quod alias sine consensu principis fieri nequit: cum concord.

4. *Declaratur exemplis juris canonici. Simonia ab alio commissæ pœnam quis non incurrit, se ipso prohibente, vel protestante committitur.* — Declaratur et firmatur regula ulterius exemplis ex jure desumptis. Sic enim præter ea, quæ ad præced. regulam, n. 7 et 8, adduximus, ex utroque jure ulterius beneficium dimittere tenetur, qui illud acquisivit per simoniam ipso ignorante ab alio commissam, c. *Nobis*, 27, de *Simonia* (nisi impetrans expresse prohibuerit, vel protestatus fuerit, ne aliquid temporale detur pro beneficio: textu expresso c. *Sicut tuis*, 33, de *Simon.*) quia communis Ecclesiæ utilitas requirit, ut summe eidem nocivum simonia vitium omnibus odio fiat, indeque magis extirpetur. Sic innocens uxor sine culpa puniatur, suoque jure conjugali privatur, arg. c. *Quoniam*, 5. § *Si autem, Ut lite non contestata*, ibi: « Quoniam in conjugio multi casus occurrunt, in quibus conjuges sine culpa, sed non sine causa continere coguntur. »

5. *Declaratur exemplis juris civilis.* — Sic de jure civili propter bonum commune, videlicet, ut veritas adulterii bono communi plurimum præjudiciosi eruatur, servus torquetur, tortus autem domino amplius non restituitur. Dynus hic arg. l. *Si postulaverit*, ff. ad *L. Jul. de Adulter.* et l. fin. ff. de *Calumniat.* Sic propter bonum commune dominus puniatur, quod causam prosequi non amplius possit, si procurator illius, etiam absque culpa domini, fatalia appellationis labi permisit, l. I, § fin., ff. *Quando appellat.* Sic universaliter quia potestas supremi principis ecclesiastici ad beneficia et officia ecclesiastica, res et jura ad loca et personas ecclesiasticas pertinentia se extendit, can. *Cuncta*, 17, cau. 9, q. 3, et c. *Licet*, 2, de *Præbend. et dignit.*, in 6, potest de illis non quidem pro libitu, sed ex causa justa publica propter communem utilitatem et religionis bonum disponere cum præjudicio et grava-